



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Conon M. 5. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

habent maculare quotidie castitatem; cui tamen  
 mors ipsa non nisi volenti vim facit, quin mortuæ  
 etiam timet manus inferre. *Ex vitâ.*

*Quousque caro misera, insipiens, cæca, demens, ac  
 prorsus insana transitorias & caducas querit consola-  
 tiones, imò desolationes; si sortè contingat repelli  
 & indignum judicari celesti gloriâ, & aternâ  
 cruciari pœnâ? S Bern. serm. 6. de Adv.*

## S. CONON M. J. Martij.

**I**Nter primos Ecclesiæ flosculos CONONEM  
 etiam numerabis, ut quem ætate Apostolorum  
 floruisse scribunt. Huic etiam nepotum magis,  
 quam virtutis cupidi parentes uxorem obtruse-  
 runt. Sed CONON è sponso Paranympheus factus  
 virgini auctor fuit, in Christum potiùs amores  
 suos transferret. Ita virgo uterque conjux vixit. Ut  
 tamen non sterile fuisse autumes, Christo paren-  
 tes suos genuit CONON, magnamque aliam, &  
 nunquam morituram posteritatem miracula post  
 se reliquit. Ipse Angelorum primipilus Michaël  
 visus edocuit CONONEM, qui ritè sacris undis tin-  
 gendum se præberet, epuloque sacro scitè hospes  
 accumberet. Dolebis credo, qui hæc legis, juven-  
 turti similem magistrum deesse. At cælum id inge-  
 mificit potiùs, magistro huic similes hodie disci-  
 pulos, Conones deesse. Sed quid discipulum vo-  
 co, qui doctor sanioris doctrinæ parètibus, quem-  
 admodum diximus extitit, eosque non nasci mo-  
 dò Christo, sed mori pro Christo docuit; ipse  
 quoque flagris ad columnam religatus, & ad in-  
 terneccionem flagellandus, nî invitum tormentis  
 Christiani eripuissent? Superstitionis hostis maxi-  
 mus

mus palam orcum fateri coëgit, nihil Numinis sibi inesse, fueruntque mali dæmones ludus CONONI. Certè pro imperio suo in illos, alios agris custodes addidit, alios testis clausos terrâ abdidit, & orbe terrarum vel mirante vel ridente, ædes inædificavit pessimis fundamentis, *Ex Menais.*

*Fides vivida & catholica est, qua velut quoddam Æternitatis exemplar præterita simul & præsentia & futura sinu quodam vastissimo comprehendit; ut nihil ei prætercat, nihil pereat, nihil præeat.* S. Bern. serm. 6. de Vig. Nat. Christ.

S. FRIDOLINVS C. 6. Martii.

**F**elices exules, qui ut patriam quærant, exeunt patriâ! His FRIDOLINVM jure accenseas. Hibernus domo ex primâ nobilitate, tunc gentilitia decora se aucturum credidit, si superstitionem expugnatam iret, patriamque fidem extra patriam proferret. Igitur fidei signa Rauracis alijsque Rheni accolis intulit, & rebelles nuper cælo animos longè plurimos debellavit. Sub hæc visum est rei Christianæ tutandæ munitionem cænobium exædificare. Id, quod hodie videmus, Sæckingense est, cui condendo Vrsus vir apprimè nobilis patrimonium suum devovit. At invidia etiam hinc cælo divitias suas invidit. Doluit frater Vrsi Landulphus in hereditatem paternam secum DEVM venire, & homo, fratre demortuo, ausus est DEO sua eripere. Magis FRIDOLINVS indoluit; & quia testis è vivis nemo unus suppetebat, ad mortuos provocavit. Audit in tumultu Vrsus, prodit & cum FRIDOLINO millia passuum V. Rauckurchium (ibi enim fortè jus Prætor dicebat) contendit, testis utique